MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80099-3

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

GERCKE, ALFRED

TITLE:

CHRYSIPPEA PARTICULAM PRIOREM

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1885

Master Negative #

91-80099-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88046
DG

Gercke, Alfred, 1860-1922.
Chrysippea, particvlam priorem scripsit ... Alfredvs Gercke ... Lipsiae, typis B. G. Tevbneri, 1885.
26 p. 22 cm.

Thesis, Bonn, 1885.

125350

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 11/11/92 INITIALS: mcy
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN ENTRY: Gercke, Alfred

Bibliographic Irregularities in the Original Document

List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____ Page(s) missing/not available: _____

_____ Volumes(s) missing/not available: _____

✓ Illegible and/or damaged page(s): p. 17, 18 mutilated

_____ Page(s) or volumes(s) misnumbered: _____

_____ Bound out of sequence: _____

_____ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: the University of Chicago

_____ Other: _____

FILMED IN WHOLE
OR PART FROM A
COPY BORROWED
FROM
THE UNIVERSITY
OF CHICAGO

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

88C46-115

88C46 DG

Columbia University
in the City of New York

LIBRARY

880.8
Z 4

CHRYSIPPEA

PARTICVLAM PRIOREM

SCRIPSIT AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS TRADIDIT AMPLISSIMO IN
VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
PHILOSOPHORVM ORDINI VNA CVM SENTENTIIS
CONTROVERSIS DIE VII MENSIS MARTII ANNI
MDCCCLXXXV HORA XII PVBLICE
DEFENDET

ALFREDVS GERCKE
HANNOVERANVS

ADVERSARII ERVNT

IVLIVS ZIEHEN STVD. PHIL.
FRANCISCVS WINTER DR. PHIL.
PAVLVS WOLTERS DR. PHIL.

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEVBNERI
1885

FRANCISCO BVECHELER

RENARDO KEKVLÉ

HERMANNO VSENER

S.

INSVNT

Pag.

PRAEFATIO

I. DE FONTIBVS

1. quinque περὶ προνοίας librorum 4

2. duorum περὶ εἱμαρμένης librorum 5

II. DE DOCTRINA CHRYSIPPI CETERORVM

1. Chrysippi de providentia et fato doctrina 8

2. Chrysippi de libero arbitrio doctrina 10

3. Antiochi et Alexandri de fato et libero arbitrio doctrina . 12

4. De Diogeniani doctrina 13

EXCVRSVS

de loco quodam Tulliano 15

FRAGMENTA

Chrysippi περὶ προνοίας 17

Chrysippi περὶ εἱμαρμένης*

Diogeniani Epicurei*

INDICES*

1. Sedes fragmentorum Chrysippi*

2. Index verborum*

---

* Quae asterisco notata sunt una cum ceteris in proximo volumine supplementorum ad Fleckeiseni annales additorum edentur.

PRAEFATIO

Libros Chrysippi si quis restituturus est id maxime cavere debet, ne nimis testimoniis et vestigiis obrutis parcat, velut Baguetum fecisse notum est atque ex ipsa re explanatur et excusatur. Chrysippus enim cum innumerabilia fere opera condiderit et ediderit, ingentem farraginem ex alienis libris sociorum adversariorum philosophorum poetarum in suos derivavit rivulos, atque etiam sua ipse exscripsit et repetivit adeo, ut in quolibet libro de quaque re egisse videatur. illam consuetudinem famosa 'Medea Chrysippi' (L. D. VII 180) atque explanatio ψευδομένων (Zeller III 1^3 p. 114 sq.) et argumentorum sensuum auctoritatem refellentium (Cic. Ac. II 27, 87) illustrat; huius rei non minus cognitae satis erit specimina pauca adposuisse: Galenus tradit (περὶ τῶν τῆς ψυχῆς ἠθῶν c. 11 IV 820 K.) πολλὰ μὲν οὖν εἶπε Χρύσιππος ἐν τοῖς λογικῶς ζητουμένοις περὶ τῶν παθῶν τῆς ψυχῆς μεμψάμενος, ἔτι δὲ πλείω τῶν ἐν τοῖς περὶ διαφορῶν τῶν ἀρετῶν. in quarto περὶ δυνατῶν libro mundum in medio semper versari probavit (Plut. de def. oracl. c. 28). eodem Plutarcho auctore (de rep. Stoic. c. 9) καθάπερ οἱ τὰ ψηφίσματα ταῖς πόλεσιν εἰσφέροντες προγράφουσιν ἀγαθὴν τύχην ita ille praefigere solebat libris suis τὸν Δία, τὴν εἱμαρμένην, τὴν πρόνοιαν, τὸ συνέχεσθαι μιᾷ δυνάμει τὸν κόσμον ἕνα ὄντα καὶ πεπερασμένον. haec exempla satis sunto: apparet sententias ab illo imprimis de fato et providentia prolatas si collegerimus pristinam unicuique fragmento sedem adtribuere nos plane nequire, tamen in libris quos de ipsis his doctrinis proprie composuit quid docuerit, ita divinare atque enucleare posse, ut paucis terminis positis totas provincias Chrysippo reddituros atque cum libros περὶ θεῶν, περὶ κόσμου alios tum περὶ προνοίας et περὶ εἱμαρμένης scriptos paene restituturos nos esse spes sit. neque enim veri est simile illum quamvis saepissime temere sibi contradixerit de se descivisse in summa doctrina, neque animum eum et disciplinam umquam mutasse probari potest. immo ut ipse secum ita tota fere Stoicorum porticus adeo cum illo duce stabat, ut etiam omisso Chrysippi nomine alterove quodam prodito ingenuam illius doctrinam saepe proferrent. ita, ut notum est, Laertius Diogenes post Zenonis vitam placitis Stoicorum enarrandis unius fere Chrysippi sententias subdidit; idemque in multis Arii Didymi et Aetii notis, in quibus universi Stoici adferuntur auctores, accidit. hi ipsos Chrysippi libros non legerunt; tamen circa DCC Cornuto relictos ab A. Persio esse traditur (Suet. de v. ill. p. 74, 13 R.). postea fortasse Aristocles Lampsacenus Stoicus,

quem alteri p. Chr. n. saeculo adtribuere solent, illius περὶ τοῦ ʽπῶς ἕκαστα λέγομεν καὶ διανοούμεθα;ʼ libros quattuor interpretatus est tamquam scriptum canonicum; eodem fere tempore, ut videtur, Diogenianus Chrysippi de fato doctrinam acriter adgressus est. certior est aetas duorum philosophorum: initio alterius p. Chr. n. saeculi Philopator Stoicus meram Chrysippi doctrinam suam fecit et in libro de fato edidit (cf. de nat. hom. cap. 35 p. 140); ei omnia Chrysippea, si recte conicio, debuit Nemesius. eodem saeculo exeunte Alexandrum Aphrodisiensem proprium contra Chrysippum scripsisse librum infra explanabitur; hunc illius de fato libros et legisse ipsum et exscripsisse quisquis excerpta vidit persuasum habet. talis igitur erat Chrysippi memoria. vides omnia illius vestigia detegere non unius esse; me ne duorum quidem librorum reliquias contulisse omnes haud nescio: plurimas iam praestare confido.

I. DE FONTIBVS

1. quinque περὶ προνοίας librorum.

Quinque de providentia libros Chrysippum scripsisse testatur Laertius Diogenes VII 142 (frg. 17); librorum tertii et quinti fragmenta nulla servata sunt. ne in ceteris quidem libris certum auctoris consilium rerumque dispositio investigari potest.

Primi libri fragmenta variis locis exstant; agitur de mundo diisque; non nulla e coniectura huc rettuli, plura simillima tamquam notissima sed incerti loci omisi.

Alterius libri quae mihi innotuerunt omnia e bibliotheca HERCVLANENSI provenerunt, de quibus conferatur D. Comparetti ʽla villa Ercolanese dei Pisoni, Torino 1883ʼ p. 66: ʽCrisippo περὶ προνοίας β′ CA V 22, di cui però rimane poco più che il titolo. quel poco che ne rimane fu illustrato dal Parascandolo in uno scritto rimasto inedito nell' officina.ʼ addatur ibid. p. 123 s. n. 1038 ʽΧΡΥϹΙΠΠΟΥ ‖ Π(Ε)ΡΙ ΠΡΟΝΟΙΑϹ ‖ Β ‖ Χ ..... svolto nel 1808 da F. Casanova. pezzi 10. — col. 8 fr. 35ʼ et adn. ibid. ʽi frammenti non disegnati sono di pochissimo o nessun frutto.ʼ his accedunt quinque incerti libri fragmenta, quorum rationem habet idem p. 134 s. n. 1421 ʽΧΡΥϹΙΠΠΟΥ ‖ ΠΕ(Ρ)Ι ΠΡΟ(ΝΟΙΑϹ .... svolto nel 1821 da C. Malesci. — pezzi 5: metà di papiroʼ et adnotat ʽil nome di Chrysippo nel titolo s' intravvede appena.ʼ septem columnae adhuc seditae cum supplementis a me temptatis infra (frg. 19—25) sequentes etsi pauca tamen non vilia docent de natura Iovis mundi hominum (cf. p. 11).

E quarto libro egregia quaedam imprimis de illa quaestione, unde sint mala in mundo, aliaque quae etiam in libris de fato similiter exposita fuisse haud iniuria conicere possis, eaque omnia paene arte cohaerentia GELLIVS tradidit (NA VII 1 et 2).

Ceterum non nullas sententias quae eodem iure quo huc in libros de fato referantur illic ponere malui. inter illas a me consulto neglectas, quas in libris de providentia fuisse expresse non traditur, est triplex mundi definitio a Dione Chrysostomo adhibita (or. 36, 29 sq. et 36).

2. duorum περὶ εἱμαρμένης librorum.

Vtriusque libri fragmenta cum promiscue a veteribus citentur ita enarranda sunt, ut ipsos sequamur auctores.

Duos fuisse Chrysippi de fato libros testatur DIOGENIANVS quidam, quem in Peripateticorum numerum Zeller recepit (cf. infra p. 13). is cum de fato condidisset librum nunc deperditum philosophorum omnium de hac materia exposuit et recensuit doctrinas; cuius operis ea pars, qua vehementer est aggressus Chrysippum, Eusebio facultatem dedit, ut eadem opera et Stoici summatis de fato sententiam commode lectoribus explanaret et acerrimi adversarii argumenta tamquam sua adderet. atque feliciter accidit, quod hic Diogenianus summas doctrinas Chrysippi planis verbis indicavit singulaque refellere studuit; atque priorem alteri libro prorsus contradicere ita probavit, ut consilium Chrysippi egregie perspiciamus. quoniam praeterea sine dolo adversarium exscripsit neque illum aut se defraudavit, in utroque libro restituendo optimum se praebet ducem. nimirum hic, ut Cicero et Alexander Aphrodisiensis, auctore videtur usus esse vel auctoribus Academicis.

Certo CICERO in componendo de fato libello secutus est Antiochum Ascalonitam, id quod inde elucet, quia non solum inde a § 31 Carneadis auctoritas evocatur tamquam philosophi victoris sed etiam § 44 adversariorum sententiae ita comparantur aliaque alii accomodatur, ut conclusio fiat ʽverbis eos non re dissidereʼ (cf. Zeller IV^3 602, 2 et 3). quod cum Antiochum melius demonstret quam Hoyeri tabula, aliquando disceptari potest, utrum non nullae detortae Chrysippi sententiae a Cicerone male intellectae an ab Antiocho consulto deflexae sint. hoc plerumque credo; ipse Cicero semel aliquid novavit, cum pro athleta quodam Hegesarcho[1], quem sine dubio ipso Chrysippo auctore nominat Diogenianus (frg. 116), Milonem Pythagoreum, quem omnes illius aetatis noverant Romani, induxit (frg. 117): vel hac ex re apparet sinceritas Diogeniani. ceterum multa e Ciceronis scripto, quamquam turpiter mutilatum et perversum nobis traditum est, disci potest valdeque dolendum est, quod nunc a plerisque neglegitur. non nulla servasse Tulliana Augustinum de civ. d. V 9 primus reperit Otto, cf. Osann, Beiträge I p. 254 sqq.

ALEXANDER Aphrodisiensis librum περὶ εἱμαρμένης καὶ τοῦ ἐφ' ἡμῖν scriptum Severo et Antonino Augustis dedicavit (cap. 1 et

1 Hunc eundem esse atque Agesarchum Pausaniae (VI 12, 8) nuper C. Robert (Herm. XIX 306) posuit; tamen e gente Polyclis ab eo restaurata neque statuae Agesarchi neque libelli Chrysippei aetas definiri potest.

39); quem scribere incipiens pronuntiat (cap. 2) cum iis se non agere, qui fatum esse prorsus negent sed horum se rationem habiturum esse, qui omnia secundum fatum fieri contendant. deinde sua summatim exposita doctrina (capp. 3—6) adversariorum singulas describit et impugnat sententias (capp. 7—38), scilicet Stoicorum, quorum nomina nusquam addit: tamen docti non dubitaverunt ipsi Chrysippo ea tribuere, cuius et sententiae sunt et ratio conclusionis inest logicae. hanc formam concludendi agnovit Zeller IV³ 167 adn. 3—5; cf. quae de eodem usu disputabo p. 16 sq. sententiae omnes fere alienis testimoniis confirmantur, id quod fragmentorum e collectione facile apparebit. exempla lapidis, Oedipodis, alia rursus reperiuntur, mundus animal fingitur cogitans (frg. 72 init. cf. cum frgg. 9 et 10), expellitur ἀνάγκη retinetur εἱμαρμένη (frg. 114 cl. cum frg. 144); ceterum in summa doctrina et fatum et voluntas hominum defenduntur, duo genera causarum, συγκατάθεσις alia explicantur. dubitare si nondum desiisti, audi legis definitionem (frg. 55): si lex est, est etiam λόγος ὀρθὸς προστακτικὸς μὲν ὧν ποιητέον ἀπαγορευτικὸς δὲ ὧν οὐ ποιητέον, vel similiter: οἱ μὲν νόμοι προστακτικοὶ μέν εἰσιν τῶν ποιητέων ἀπαγορευτικοὶ δὲ τῶν οὐ ποιητέων, atque cum hac illam confer quam cum nomine Chrysippi servavit Marcianus (Digest. I 3, 2): [λόγος ὀρθὸς] προστακτικὸς μὲν τῶν ποιητέων ἀπαγορευτικὸς δὲ τῶν οὐ ποιητέων. res confecta est: quaecumque Alexander adversariis vindicat Chrysippo debentur; tamen cavendum est, ne omnia illi imputata genuinam prodere doctrinam iudicemus, quoniam non nullae sententiae adeo detortae sunt, ut in contrariam fere partem versas inveniamus. haec fragmenta, quae cruce notavi, plerumque similibus aliorum auctorum aut ipsius Alexandri corriguntur aut contrariis funditus refelluntur.

Una vero doctrina adhuc ignota nullis fere testimoniis firmatur: tamen addubitanda non est cf. p. 11 sq. versatur ea in educatione puerorum, de qua pauca viliaque tradidit Quintilianus quae ab Alexandro ne respiciuntur quidem quamquam ea quoque Alexandri fragmentis (frgg. 128—140) aliquo modo illustrantur. praeterea his ipsis egregie docemur, quid de natura hominum et deorum deque morali eorum constitutione, de facultate peccandi denique de laude vituperatione admiratione censuerit.

In altero περὶ ψυχῆς libro eundem Chrysippum cum alibi sparsim impugnare videtur tum in eo capite quod in Aldina (p. 159 b sq.) inscribitur τῶν παρὰ Ἀριστοτέλους περὶ τοῦ ἐφ᾽ ἡμῖν. at quoniam quantum Chrysippo debeatur difficile est iudicatu, pauca tantum quasi specimina electa inter fragmenta recepi.

De iis fontibus, qui singula tantum fragmenta praebent cum aliorum auctorum tum Chrysippea, veluti placitorum scriptores (de fonte quodam Aetii cf. Diels DG p. 178) et Senecam non nulla nobis servasse notum est, nihil dicam nisi magna opus esse cautione; nunc quoniam de primo quodam eorum fonte agimus propiores iure

omittemus: itemque de duobus Plutarchi libris satis utilibus, qui de repugnantiis Stoicorum et de communibus eorum notitiis scripti permulta Chrysippea vel nomine apposito vel (quamvis raro) omisso exhibent, non habeo quid addam.

Non nulla NEMESIVS qui ad finem quinti saeculi putatur fuisse e nostro libro servavit; videtur ea omnia, ut supra dixi (p. 4), Philopatori Stoico debere. hunc bis, Chrysippum semel nominat: tamen non dubitavi plura e posteriore libri περὶ φύσεως ἀνθρώπου parte nostro vindicare; atque feliciter accidit, quod non nulli loci testimoniis alienis firmantur (cf. frg. 74 cum 72, 73, 83; etiam frg. 109 citra dubitationem positum est). tamen diiudicari de auctoribus ceteris propriaque doctrina Nemesii difficillimum est: mire aliquando et cum Alexandro conspirat et cum CHALCIDIO. hic, qui ca. annum 325, si recte coniciunt, commentarium quendam ad Platonis Timaeum compositum vertit, Adrasti et Numenii aliquot fragmenta vel sententias recepit, veterumque non nusquam Stoicorum imprimis Chrysippi placita prodidit, quae cuinam debeat nondum audeo affirmare.

Uterque mirifice cum libello de fato scripto qui PLVTARCHI nomen iniuria prae se fert conspirat, Chalcidius adeo, ut eundem auctorem breviasse Pseudoplutarchum, vertisse Chalcidium certo evincatur. quae quoniam in animo mihi est mox, si dii volunt, accuratius exponere, nunc omitto. sed moneo ne quis hoc libello usus genuinis ea admisceat, quae Stoica inde ab Andronici fere et Antiochi temporibus Peripatetici et Academici proferebant. eademque de causa libellum de mundo, quem diu ab Aristotele ipso abiudicatum recentioribus Peripateticis adtribuerunt quemque nuper Bergk Nicolao Damasceno, Bernays et Vsener aetati Neronis vel Vespasiani vindicaverunt, omitti praestat. hoc in libro Chrysippea multa inesse olim Osann demonstravit, qui tamen paene caecus ipsi illi Stoico totum donare voluit; libellus plutarcheus nullum Osannum adhuc invenit. quare neque O. Heine (Stoicorum de fato doctrina Numburgi 1859 p. 1) neque R. Volkmann (leben, schriften und philosophie des Plutarch von Chaeronea Berlin 1869 p. 146—154) quicquam in eo agnoverunt Stoicum praeter ultima verba, quae diserte eos nominant, qui omnia fato fieri censeant. hoc enim nomine Chrysippum etiam ab Antiocho apud Ciceronem, Alexandro, Diogeniano aliis notari neminem fugit, nimirum quia priorem περὶ εἱμαρμένης librum ad eum finem scripsit, ut omnia fato fieri probaret. hunc consulto neglexit Plutarchus personatus, altero libro fructus est. ita ex uno vocabulo συνειμαρμένα (cap. 4 p. 569 F), quod ipse Plutarchus, ut par est, numquam[1] adhibuit, Chrysippus elucet (cf. fragm. 115—118) ita cap. 6 p. 570 E (ἡ μὲν γὰρ εἱμαρμένη πάντα περιέχει . . . τὰ δ᾽ οὐκ ἐξ ἀνάγκης γενήσεται ἀλλ᾽

1 Vno fragmento excepto, quod volgo neglegitur itemque Chrysippo adtribuendum est (121).

ἕκαςτον αὐτῶν οἷον καὶ πέφυκεν εἶναι) stat cum Chrysippo (frgg. 144, 112—115). etiam fati definitiones initio operis prolatae, quas volgo Platonicas esse dicunt, ex officina Stoicorum prodierunt: recentioribus enim temporibus Stoici vestigia suae doctrinae apud Platonem reperire atque detegere conati sunt, ut ipsum Chrysippum frg. 26 Platonem adsciscere invenimus; eadem ratione hae definitiones nemini Platonico debentur sed congruunt cum Chrysippeis frgg. 33, 41—49. quid? quod etiam ἀποκατάςταςιν Stoicorum cap. 3 exponi neglexerunt Heine et Volkmann? ne ipsius quidem compilatoris ratio, quam Stoicae opponit in ultimo capite, nova est sinceraque sed ab argumentorum ordine eo derivata, quem Chrysippus in altero περὶ εἱμαρμένης libro secutus est; sed de hac re alias.

Etiam ALBINVS Platonicus a Chrysippo quaedam sumere non dubitavit. hic autem cum odiosum nomen diligenter removerit, doctrinam eius vix mutatam recipit, quippe qui totam fere doctrinam etsi non diserte pronuntiatam apud Platonem inveniri sibi persuaserit.

II. DE DOCTRINA CHRYSIPPI CETERORVM.

1. Chrysippi de providentia et fato doctrina.

Multae sententiae prioris de fato libri cum in libro de providentia item explicatae fuisse sed casu quodam interiisse videantur iam una tractandae sunt; deinde quomodo altero libro liberam defenderit Chrysippus voluntatem videbimus.

Pertritum est illud εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύςιππος οὐκ ἂν ἦν Cτοά et tamen commentario quodam eget. neque enim solum, quae Zeno indicaverat tantum, explanavit auxitque atque multa quae ille omiserat adiecit sed aliquas doctrinas aut ipse condidit aut ita reformavit, ut nihil fere nisi nomina a Zenone inventa retineret. unum reprehendisse Cleanthem videtur, Zenonem seque ipsum tamquam verum illius discipulum defendit proprio libro περὶ τοῦ κυρίως κεχρῆςθαι Ζήνωνα τοῖς ὀνόμαςιν scripto (Laert. Diog. VII 122): quo ex titulo probatur iam ab aequalibus impugnatum esse Chrysippum ut καινοτομοῦντα, ipsum non concessisse. contra ingenue nova se proferre confessus est Posidonius, quem cum Chrysippo videtur comparare Galenus (π. τῶν τῆς ψυχῆς ἠθῶν IV 819 K): ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ἔπειςαν αὑτοὺς (αὐτοὺς Vsener) τὴν πατρίδα μᾶλλον ἢ τὰ δόγματα προδοῦναι, Ποςειδώνιος δὲ τὴν τῶν Cτωικῶν αἵρεςιν μᾶλλον ἢ τὴν ἀλήθειαν. itaque aut doctrinas retinuit nominaque confudit vel certe non curavit aut veteribus nominibus inusitatam obtrusit significationem. ita εἱμαρμένης nomen retinuit removit necessitatem caecam astrologorum et Zenonis nihilque docturus erat nisi causarum nexum sempiternum; tamen ipse quoque aliquando ἀνάγκης nomine, eiusque non tantum logicae, usus est. qua re cum variis fluctuantibusque placitis Chrysippus doctrinam adumbraverit, nos certiores

his de rebus fieri raro possumus. accedit quod saepe Chrysippea neque a vetustiorum neque a recentiorum edictis discerni possunt: imprimis de mundo eiusque gubernatione, de providentia fatoque ita Stoicorum porticus, si paucos excipis, consentit, ut propriam Chrysippi doctrinam discernere frustra conaturus sis. exempla docent. Zeno censuisse dicitur ab Aristocle Peripatetico (Euseb. PE XV 14) easdem esse εἱμαρμένην καὶ ἐπιςτήμην καὶ ἀλήθειαν καὶ νόμον. Chrysippus fati rationem veritatem causam naturam necessitatem promiscue dixit (frg. 49) et in libris de fato et dubito an etiam de providentia; certe (Phaedro fortasse auctore, cf. Diels Doxogr. Gr. p. 127. 546 a 20 cum adn.) in primo περὶ θεῶν libro similiter fatalem necessitatem sempiternamque rerum futurarum veritatem appellavit fatum vel Iovem (frg. 10). idem Cicero de div. I 55, 125 Posidonium, si Schicheum audis, secutus tradit: εἱμαρμένη 'est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna'; atque plura huius loci ita ad Chrysippi accedere videntur doctrinam, ut totum inter fragmenta (s. n. 43) receperim. iam sequatur alterum exemplum. mundi definitiones Laert. Diog. VII 137 sq. ponit Posidonium, ut ipse § 138 adnotavit, secutus. easdem praefixo Chrysippi nomine tradidit Arius Didymus (frg. 31 = Chrys. frg. 18): itaque Laertiana eidem Chrysippo vindicare non dubitavi (frg. 17) et eodem iure generaliorem ei tribuere potui opinionem Stoicorum, quam Arius frg. 29 exhibet: tres enim illae reliquiae ad unum eundemque redeunt fontem. tamen ex hoc fragmento unum haurire locum satis habui, qui unde defluxerit in Laertii et Didymi rivulos ille ipse testatur (frg. 7). aliam de mundo doctrinam tradidit Antipater (D. L. VII 139) τὸν ὅλον κόςμον ζῷον ὄντα καὶ ἔμψυχον καὶ λογικόν, id quod a Chrysippo usurpasse eum affirmabis, si huius frg. 9 et 10 legeris. iam vero haec confer:

Cic. d. d. n. II 17, 45 sq. sed cum talem esse deum certa notione animi praesentiamus primum ut sit animans deinde ut in omni natura nihil eo sit praestantius . . hunc ipsum mundum quo nihil excellentius fieri potest animantem esse et deum (iudico) . . . mundo autem certe nihil est melius: nec dubium quin quod animans sit habeatque sensum et rationem et mentem, id sit melius quam id quod his careat. ita efficitur animantem sensus mentis rationis mundum esse compotem.	D. L. VII 143 . . ζῷον μὲν οὕτως ὄντα οὐςίαν ἔμψυχον αἰςθητικήν (τὸν κόςμον)· τὸ γὰρ ζῷον τοῦ μὴ ζῴου κρεῖττον· οὐδὲν δὲ τοῦ κόςμου κρεῖττον· ζῷον ἄρα ὁ κόςμος. supra 142 ὅτι δὲ καὶ ζῷον ὁ κόςμος καὶ λογικὸν καὶ ἔμψυχον καὶ νοερόν, καὶ Χρύςιππός φηςιν ἐν ᾱ περὶ προνοίας (frg. 9) καὶ Ἀπολλόδωρός φηςιν . . καὶ Ποςειδώνιος.

illa quae Cicero tradit a Zenone repetenda esse et ipse antea (8, 21) indicavit strenueque Wellmann demonstravit ex Alexini Megarici

pugna (Sext. E. adv. math. IX 107 sq.). itaque Zenonem ad verbum videtur expressisse Chrysippus, alterum utrum Apollodorus et Posidonius, liberius rariusque Antipater. quae cum reputaveris, ubicumque a Diogene et doxographis unus appellatur auctor, plures vel consulto vel temere esse omissos recte, puto, concludes. harum igitur opinionum omnium, neque primus auctor neque ultimus defensor fuit Chrysippus, neque est cur Stoicam illius doctrinam accuratius explicemus, praesertim cum hac quidem in re quaestiones prorsus solverit Eduardus Zeller. de uno fragmento 24 infra disputabo.

2. Chrysippi de libero arbitrio doctrina.

Ut Diogenianus indignatus est ita nostrum unusquisque, puto, si generalem audiverit doctrinam in priore de fato libro prolatam a Chrysippo, mirabitur, quod in altero prorsus contrariam prodidit aliquidque esse in hominibus ipsis situm contendit. hac in re non Stoicum se praebet sed ipsum Chrysippum, quippe qui sententias prorsus alienas conciliaverit opinionesque ceterarum scholarum, imprimis Aristotelis ut videtur, disciplinae antiquitus sibi traditae et stabilitae ita adiunxerit, ut novam exstitisse factionem putes. nimirum voluntatem hominum inducere non potuit, nisi expulsa necessitate fatum posuit seriem esse causarum naturalium. has igitur tamquam cuique rei praecedentes ita distinxit, ut alias principales et perfectas in nobis sitas efficere actiones, alias adiuvantes continentesque movere ipsas illas diceret: sine his enim causis extrinsecus accidentibus neque principales causas fieri neque actiones. itaque visa extrinsecus recipimus (neque dubitavit Chrysippus illa fatalia appellare quippe quae e nostro arbitrio certo non pendeant); ipsi tamquam illorum iudices aut adsentimur aut respuimus. hoc iudicium animorum ratione puto et experientia fieri ratus est; nomen ei συγκαταθέσεως (adprobationis) indidit; et Epicurei posteriores hanc vocem usurpaverunt et Alexander promiscue ea usus est significatione atque προλήψει (de fato c. 11 p. 36 O.). talem igitur probationem negantibus Academicis principaliter a nobis institui non male dixit: putas hac totaque libera voluntate tolli et fatum ex aeternitate impendens et divinationem? id cum Megarici intellegerent neque igitur valente fato utilia esse oracula Chrysippo obicerent, hic id ipsum praevideri fato et una computari affirmavit: condiciones quasdam fato dari, voluntatem nostram et arbitrium omnesque actiones συνειμαρμένα (confatalia)[1] esse asseveravit, ut illorum λόγον ἀργὸν retardaret vel removeret. idem quod contra Megaricos Aristoteli quaedam posse et fieri et non fieri concessit ita videtur docuisse, ut possibilia quoque συγκαθειμάρθαι poneret: testimonia desunt. neque

1 Similiter excogitatum est mirificum illud παρειμαρμένον quod Aristoteli (!) adtribuit Proclus (in Plat. Tim. p. 322, p. 783 Schn.).

scimus quantum tribuerit divinationi deoque. apud Alexandrum enim legimus (frg. 93) πάντα τοῖς θεοῖς δυνατά φασιν εἶναι. tamen Philod. de d. v. beata (VH CI VI) col. 7, 33 dicit πολλάκις δὲ αὐτοὶ ἐπανατροπὴν | τῆς νοήσεως τοῦ θεοῦ συγχωροῦσι, καθάπερ ὁ | (πάνυ?) Χρύσιππος ἐν τοῖς (πε)ρὶ μαντικῆς λέγει μὴ δύ|(νασθαι) τὸν θεὸν ε(ἰδέναι? πάντ)α διὰ τὸ μηδ᾽ ἔχειν | … haec, etiam si falso aut saltem incerte suppleta sint, tamen demonstrant aliquid in potestate deorum non esse: quia, puto, ne dii quidem compotes sunt humani arbitrii neque quae fiunt omnia necesse est fieri. non igitur desinit post μηδ᾽ ἔχειν sententia, sed sequebatur olim debilitas aut rerum omnium aut deorum; hi enim ipsi neque vitia committere neque impossibilia facere possunt, id est illa facere nequeunt. itaque concessit Chrysippus ipse debilitatem deorum, quod exprimit ab eo recte Alexander paulo supra (frg. 93). iure igitur fragmentum a me non receptum inter reliquias nostras aut librorum de divinatione numerare potes quod nomine omisso Philodemus tradidit in eodem libro col. 8, 1 καὶ κατὰ τὴν (τοῦ θε)οῦ (προ?)φορὰ(ν ἰδ)ιωτικῶς ἅ(παν-)|τος αὐτῷ δύναμιν ἀναθέντες, (ὅ)ταν ὑπὸ τῶν ἐ|λέγχων πιέζωνται, τότε καταφεύγουσιν ἐπὶ τὸ | διὰ τοῦτο φάσκειν τὰ συναπτόμενα μὴ ποιεῖν, | ὅτι οὐ πάντα δύναται. nimirum quae in hominibus sita sunt deus non facit. sed de divinatione[1] satis.

Dii semper aeque boni sunt; homines mali fieri possunt sed sua culpa. non igitur ita nascimur, ut in mundum editi statim aut boni aut mali simus sed utriusque capaces constitutionis. porro utramcumque selegimus hanc cetera in vita deserere nequimus[2]: non igitur singulas ob actiones laude vituperationeve apparemus digni sed propter primariam illam electionem; dii neutram merentur quoniam neutram recipere potuerunt naturam sed admirationem assecuntur hominum. — haec doctrina (frgg. 128—140) egregie firmatur et stabilitur parvo fragmento alterius περὶ προνοίας libri aureo (24); aliunde de ea adhuc nihil innotuit. tamen vestigia detegere potes apud Philonem (de mundi opificio p. 46 Pfeif.): τῶν ὄντων τὰ μὲν οὔτε ἀρετῆς οὔτε κακίας μετέχει ὥσπερ φυτὰ καὶ ζῷα ἄλογα, τὰ μὲν ὅτι ἄψυχά τ᾽ ἐστὶ καὶ ἀφαντάστῳ φύσει διοικεῖται, τὰ δ᾽ ὅτι νοῦν καὶ λόγον ἐκτέτμηται (κακίας δὲ καὶ ἀρετῆς ὡς ἂν οἶκος νοῦς καὶ λόγος, οἷς αὗται πεφύκασιν ἐνδιαιτᾶσθαι). τὰ δ᾽ αὖ μόνης κεκοινώνηκεν ἀρετῆς ἀμέτοχα πάσης ὄντα κακίας ὥσπερ οἱ ἀστέρες· οὗτοι γὰρ ζῷά τ᾽ εἶναι λέγονται καὶ ζῷα νοερά, μᾶλλον δὲ νοῦς αὐτῶν ὁ ἕκαστος ὅλος δι᾽ ὅλων σπουδαῖος καὶ

1 Non nulla de oraculis a Chalcidio tradita quonam iure Chrysippo vindicanda sint nunc non quaesivi, praesertim cum rectius libris de divinatione vel de oraculis inseras.

2 Tamen admittitur exceptio, quoniam ebrietas et melancholia virtute servata esse non possunt, cf. Laert. VII 127; itaque reprehendit Alexander (de an. II 156b Ald.) οἷόν τε τὴν ἀρετὴν ἔχοντα καὶ ἐν ληθάργῳ καὶ ἐν μελαγχολίᾳ καὶ ἐν σκοτώσει καὶ ἐν παρακοπῇ γενέσθαι, ἐν οἷς ὄντα ἀδύνατον κατ᾽ ἀρετὴν ἐνεργεῖν.

παντὸς ἀνεπίδεκτος κακοῦ. τὰ δὲ τῆς μικτῆς ἐστι φύσεως ὥσπερ ἄνθρωπος, ὃς ἐπιδέχεται τἀναντία, φρόνησιν καὶ ἀφροσύνην ... καὶ συνελόντι φάναι ... ἀρετὴν καὶ κακίαν. cohaeret nimirum haec doctrina cum educandi ratione, quoniam divina illa arte pueri ad bonum alliciuntur. itaque Chrysippus nutrices iam per triennium iis datum infantium mentes informare quam optimis institutis (Quint. I 1, 16) iussit secutus Platonem (Rep. II p. 377 B, cf. Ps.-Plut. de lib. ed. c. 5 p. 3 F). dissentiebat ab hoc in parte ea, quod corporis curam multo ante ipsam nativitatem esse instituendam iudicabat. hac in re cum Platone stans Posidonius illum vehementer vituperavit, tamen ipse quarto decimo demum vitae anno puerorum mentes (τὸ λογιστικὸν) valere indicavit (Galen. de pl. Hipp. et Plat. V p. 466 sq.); quanam aetate liberorum naturam atque indolem corroboratam esse Chrysippus censuerit, nescimus, certo post annum vitae tertium. sine dubio omnes homines discere virtutem debere docuit, id quod ex Laertii placito (VII 91 διδακτὴν τὴν ἀρετήν) non elucet, itaque si quis homo ad vitia propensus ea exstirpavit, hunc laudibus extulit; atque eadem ratione homines debiles sed sanos diligenti cura factos anteposuit iis qui e natura corporis valetudine bona fruuntur: hos enim ut bonos deos non laudandos sed beatos esse appellandos (frg. 129. 39—49); tamen ne sapientes quidem natura esse bonos usquam diserte dixit: immo ab eo videtur sumpsisse Posidonius quod de arte et exercitatione tradit Seneca (ep. 90, 44 sq., cf. Zeller III 1^3 p. 269). contraria sententia legitur apud Plutarch. pers. de lib. ed. c. 9 p. 7 A καθάπερ δὲ τὸ σῶμα οὐ μόνον ὑγιεινὸν ἀλλὰ καὶ εὐεκτικὸν εἶναι χρή, καὶ τὸν λόγον ὡσαύτως οὐκ ἄνοσον μόνον ἀλλὰ καὶ εὔρωστον εἶναι δεῖ. τὸ μὲν γὰρ ἀσφαλὲς ἐπαινεῖται μόνον, τὸ δὲ ἐπικίνδυνον καὶ θαυμάζεται. Chrysippus laudem in hoc, admirationem in illud transtulit.

Neminem fugit ne hac quidem in re satis liberam esse voluntatem hominum ab illo circumscriptam et tamen prorsus abhorrere a Zenonis huius disciplinam.

3. Antiochi et Alexandri de fato et libero arbitrio doctrina.

Ceterarum omnium scholarum philosophi a Chrysippo eiusque discipulis ea in re dissentiunt, quod casum introducunt et fortunam, quam ille causam esse protulerat rationi humanae imperceptam, scilicet secutus Heraclitum. Epicurei fortunam agnoscebant et liberam voluntatem, Academici et Peripatetici praeterea quibusdam in rebus etiam fatum, quamquam id ipsum negaverat Carneades (Cic. de fato 14, 31). atque etiam Antiochus non fatum videtur retinuisse sed nexum causarum, et ne causarum quidem ullas nisi naturaliter et necessario efficientes (ibid. 14, 33 sq.). idem sustulit divinationem tamquam a fortuna alienam (ibid. 3, 6). Alexander non dubitat quin sit fatum (cap. 2 init.) et divinatio (c. 30 a. c.), et tamen ex consensu

philosophorum multitudinisque hominum agnosci fortunam et casum addit (cap. 7 p. 20 O.). haec vero tamquam secum non convenientia iam vituperaverat Antiochus in Posidonio (Cic. 3, 5), qui 'in aliis' inquit 'naturae contagio valet quam ego non tollo, vis est nulla fatalis: in aliis autem fortuita quaedam esse possunt.' hac igitur in re vides Antiochum accuratiorem Posidonio atque Alexandro, etiam si hic fatum et naturam rerum non discrepare satis caute posuit. Posidonio igitur videtur attribuendum esse placitum Aetii I 29, 7 (p. 326 a5, b8 D.) ἃ μὲν γὰρ εἶναι κατ' ἀνάγκην ἃ δὲ καθ' εἱμαρμένην ἃ δὲ κατὰ προαίρεσιν ἃ δὲ κατὰ τύχην ἃ δὲ κατὰ τὸ αὐτόματον, id quod Platoni dat Chalcidius (cap. 145), Chrysippo ut videtur Zeller (IV^3 165, 2), adversariis non nominatis in formam redactum paulo liberiorem Nemesius (cap. 39 initio).

Ceterum de doctrina Antiochi et Alexandri quamquam multa cum communia tum diversa enucleari possunt diligenter disquisitis Ciceronis ipsiusque philosophi Aphrodisiensis de fato libris, nemo adhuc propriam instituit quaestionem neque mihi nunc instituere vacat.

4. De Diogeniani doctrina.

Nihil de Diogeniano constat nisi Chrysippi doctrinam acriter ab eo impugnatam esse. qua de re forte miraberis Zellerum[1] ita dicentem (IV^3 779 adn.): 'D., von dem Eus. grössere bruchstücke, gegen Chrysipps lehren über die weissagung und das verhängniss gerichtet, vielleicht aus einer schrift π. εἱμαρμένης, mittheilt; möglicherweise eine person mit dem Pergamener D., der bei Plut. de Pyth. oraculis und qu. conv. als gesprächsperson auftritt; was er ihm in den mund legt, steht wenigstens mit dieser annahme nicht im widerspruche, Pyth. or. 5, 17 würde vielmehr mit seinem skeptischen verhalten zur mantik stimmen. es fehlt aber allerdings an bestimmteren anzeichen dafür, dafs D. von Plut. als Peripatetiker geschildert werden solle.'

Cur Eusebii Diogenianus inter Peripateticos recensetur? pugna enim contra providentiam, fatum, divinationem Stoicorum ab Academicis et Epicureis non minus quam a Peripateticis fit. itaque magna ex parte Academicorum sententiae cum Diogeniano congruunt; cf. Cic. de div. II 8, 20—10, 25 et Diog. frg. 4, 42—49. tamen Epicuri scholae eum adscribere non dubito his de causis:

Primum strenue in ceteris breviterque redarguit Chrysippum; uno loco latius expandit argumenta (4, 52) ἄλλως τε καὶ ταῦτα (τὰ κακὰ) μὲν οὐ πάνυ τι περὶ ἑαυτοὺς ἔσεσθαι πρὶν ἀκοῦσαι κατελπίζομεν, τὰ δ' ἀγαθὰ μᾶλλον πάντες ὡς εἰπεῖν προσδοκῶμεν διὰ τὴν φυσικὴν οἰκείωσιν πρὸς αὐτά· οἱ μὲν γὰρ πολλοὶ καὶ μείζω

1 Antecessit Hugo Grotius, philosophorum sententiae de fato et de eo quod in nostra est potestate collectae partim et de Graeco versae Amsterodami apud L. Elzevirium a. 1648 p. 266.

τῶν δυνατῶν γενέσθαι κατηλπίκασιν. ἐξ οὗ συμβαίνει τὸ τὴν μὲν τῶν ἀγαθῶν προαγόρευσιν μὴ ἐπιτείνειν πάνυ τι τὴν χαρὰν (διὰ τὸ καὶ χωρὶς τῆς προαγορεύσεως ἕκαστον ἐξ ἑαυτοῦ τὰ κρείττω προσδοκᾶν) ἢ ἐπ' ὀλίγον ἐπιτείνειν τῇ δοκούσῃ βεβαιότητι, πολλάκις δὲ καὶ μειοῦν τὴν χαράν, ὅταν ἐλάττω τῶν ἐλπισθέντων ἀκουσθῇ· τὴν δὲ τῶν κακῶν προαγόρευσιν (καὶ διὰ τὸ ἀπόστρεπτον αὐτῶν φύσει καὶ διὰ τὸ παρ' ἐλπίδας ἐνίοτε προλέγεσθαι) μεγάλως συνταράττειν. haec ad refellendum adversarium nihil valent: quaeritur enim num divinatione procurari flectique possint imminentia, non agitur de parva voluptate ex praesciendo oriunda. itaque ex sua suaeve scholae doctrina Diogenianus (aut fons illius) haec addidit, quibus probaret neque bona neque mala praescire utile esse. haec vero tota doctrina, imprimis de exspectatione bonorum magna parva malorum deque naturali ad bona dulciaque affinitate (οἰκειώσει) prorsus Epicureorum est, a quibus alibi (4, 4. 10. 16. 3, 25) ἐνάργειαν quoque sumpsit.

Deinde Diogenianus aliis recensitis philosophis Chrysippum revincendum aggressus est suam sine dubio de **fato** sententiam tamquam ultimam unamque veram expositurus. in hoc quem secuturus sit auctorem nobis non dixit, dixit in **divinatione** simul explananda (4, 29) ἀλλὰ περὶ μὲν τοῦ μὴ συνεστάναι τοῦτο ὃ προειλήφαμεν καλεῖν μαντικὴν ἐν ἄλλοις ἀποδώσομεν πληρέστερον παρατιθέμενοι τὰ **Ἐπικούρῳ** καὶ περὶ **τούτου δοκοῦντα**. quis dubitat, quin idem arbiter fuerit lei abiudicandi?

Denique tertium sequatur testimonium extrinsecus petitum. Eus. PE IV p. 139 B proclamat σύ γε μὴν παρὰ σαυτῷ σκέψαι, πῶς Ἕλληνες ὄντες καὶ τὴν Ἑλλήνων σύντροφον παιδείαν ἐκ νέας ἡλικίας κτησάμενοι τά τε πάτρια περὶ θεῶν πάντων μᾶλλον διεγνωκότες Ἀριστοτελικοὶ πάντες Κύνικοί τε καὶ Ἐπικούρειοι καὶ ὅσοι τούτοις ἐφρόνησαν τὰ παραπλήσια τῶν παρ' αὐτοῖς Ἕλλησι βοωμένων μαντείων κατεγέλασαν. eosdem componit p. 136 B: οἱ ἀπὸ Ἀριστοτέλους καὶ πάντες οἱ καθεξῆς τοῦ περιπάτου Κυνικοί τε καὶ Ἐπικούρειοι, οὓς καὶ μάλιστα ἔγωγε ἐθαύμασα. tamen hoc in libro unum affert Diogenianum, tres auctores in sexto demum libro ad superiora ita respiciens (p. 273 A): καὶ τῶν μὲν (καθ' ἡμᾶς δογμάτων) πρὸς τοὺς γενναίους χρησμοὺς κυνικώτερον ἀποταθέντων τῶν δὲ πρὸς τοὺς θαυμαστοὺς φιλοσόφους παρὰ τῶν αὐτοῖς γνωρίμων ἀντειρημένων. hi tres sunt Oenomaus Cynicus, Diogenianus, Alexander Peripateticus. itaque nostrum ut nobilem quendam adscitum esse Epicureum ipsius Eusebii verba probant.

Contra Diogenianus Pergamenus apud Plutarchum (quaest. conv. VII 8, 1 cf. 3) Platonis dialogos in conviviis recitandos commendat placitumque Platonicum interpretari convivas iubet (VIII 2, 1); in libello de Pythiae oraculis scripto Diogenianus puer, qui non nulla ipse scit plura quaerit cuiusque pater, ille optimus virorum (cap. 1 a. c.), fortasse Pergamenus est: hic puer nulladum imbutus est philosopho-

rum doctrina; Pergamenus fingitur tamquam vir artium literarumque peritissimus, Platoni deditus.

Nostri igitur Diogeniani de patria vel aetate nihil constat.

EXCVRSVS

de loco quodam Tulliano (de fato 19, 44).

'Haec cum ita sint a Chrysippo explicata, si illi, qui negant
adsensiones fato fieri, fateantur tamen eas **non** sine viso antecedente
fieri — alia ratio est; sed si concedunt anteire visa nec tamen fato
fieri adsensiones, quod proxima illa et continens causa non moveat
adsensionem, — vide ne idem dicant.' haec corrupta esse omnes
editores censuerunt auctore Lambino, qui deleto 'non' scripsit 'fa-
teantur t. eas sine viso a. fieri'. at quinam homines posuerint viso-
rum approbationes sine visis gigni, plane nescio. tamen nemo Lam-
binum non secutus est in recensenda hac sententia. audi Heineum
(Stoic. de fato doctr. Numb. 1859 p. 2): 'Cicero . . in Epicuri igno-
rantiam atque disputandi licentiam ad modum rhetoris invehitur
